

בְּעֵרָה
PHILOLOGEMATA
OCTO SELECTIONIORA,

AVSPICIO
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGII
DN. FRIDERICI AUGUSTI

AD
DIEM XI. Decemb. ANNI c19 19 CC XV
H. L. que consuetis

DISCEPTANDO PUBLICE

explanabunt,
PRAESES

JO. CHRISTOPHORUS
VVICHMANNSHAUSEN,
P. P.

ET
RESPONDENS
M. GEORGIUS CAROLUS PETRI
HALLEBIENSIS MISNICUS.

V ITEMBERGAE AD ALBIM
PRELO SCHROEDERIANO

coll. diss. A
34, 36

a. cxxxiv. 36.

PHILOSOPHIA
OCCIDENTALIS
AVARICIA
RECTORS UNIVERSITATIS
SERENISSIMO REGI
DN. FRIDERICO AUGUSTO

DRUCKT BEI
DROPPHANO
PUBLICE



IO. CHRISTOPHORUS
VICTORINUS
RESPONDENS
M. GEORGIO CAROLO PERKI
MAGISTRO

LEIPZIGI
MDCCLXXV
55



I.



Abent sane, quod disputent, qui
 כְּתָנַי פְּסִי non *manicat* aut
 tantum, & *talarem*, sed *pietam*
 quoque, *variegatam*, *diversisque*
dispunctam coloribus, *tunicam*
 interpretantur. Est enim voca-
 bulum פְּסִי ea notione, apud
 CHALDAEOS, frequens, qua *vo-*
lam manus, vel, *plantam pedis*, significat. Itaque כְּתָנַי
 כְּתָנַי פְּסִי istiusmodi fuerit *tunica*, *cujus ora infima ad*
pedes usque, et *cujus manicae ad manus usque*, *promissae*
essent. Ita videlicet ipsi quoque GRAECI *Interpretes*
 LXX, aequae atque *Aquila*, rem putasse videntur, cum
 II. Sam. XIII, 18. THAMARIS vestem, quam Scriptor
 divinus כְּתָנַי פְּסִי appellat, καρκωτόν vocandam e-
 xistimarunt. Nam ut καρκός GRAECIS interdum *Jun-*
cturam manus cum cubito, vel *volam* quoque denotat;
 Sic καρκωτός *tunica* iisdem est, quae *manicas* habet *ad*
καρκόν usque, hoc est, *eam manus partem*, qua *cohae-*
ret cum brachio, pertinentes. *Talares* autem ejusmo-
 di et

di, et manicatas, *vestes*, five καρπωλεις, more priscarum gentium, ad solem orientem incolentium, fere *versicolores* fuisse, hoc minus est, quod dubitemus, quo clarius aevi prioris monumenta testantur, variegatas, pictasque, uestes ab istis populis habitas esse in deliciis, ac honore, prorsus ut principum virorum, magnatumque, propriae, nec plebeiis licitae, crederentur. Talis certe כִּתְנֵי פְּסִיָּה illa fuisse censenda est tunica, quam IACOBUS filio dilectissimo, IOSEPHO, confici curavit, *Genes. XXXVII, 3*, quippe quae ipsum a reliquo fratrum grege insigniter distinctum voluit, quorum tamen invidiam ea magis stimulavit. Idcirco *Interpretes GRAECI*, haud incongrue, illam χιτῶνα ποικίλην, IUNIUS *versicolorem*, VVLGATUS *Polymitam*, dixerunt, praesertim si, quod, in כִּתְנֵי רַבָּנִים, *Judaeorum Magistri* tradunt, eiusmodi tunicae, quales illi vocabulo פַּרְגֻּדָּה *paraguda*, designant, pictae, atque πολύμιτοι, maxime in fimbriis, orisque, extremis, ac limbis, et iis, quae ad sui vestibus solebant, loris, fuerunt. Nec dissimilem his illam vestem *Babyloniam*, quam ACHAN, magno suo malo, rapuit *Ios. VII, 21*, opus nimirum πολύμιτον, plurimis notis, ac coloribus, fortassis etiam auro, argento-ve, intertextum, καρπωλῆν, *tunicamve talarem, & manicatam, pictam*, extitisse, ex iis quae diximus, fit verosimile.

II.

Lex erat per MOSEN lata : *Servus Ebraeus*, hoc est, stirpe *Israelitica* prognatus, & a patre familias, quingente *Israelita* sit, certo pretio, comparatus, sex annos *servito*, iisque elapsis in *pristinam libertatem* restituito. Sin, exacto septennio, nolit ipse manumitti, ac de heri sui *potestate exire*, amore videlicet uxoris, sobolis, aut heri, disten-

distentus, berus, ad postemjanuae, auriculam ejus subula
perforato. Id signum perennaturae servitutis est. EXOD.
XXI, 2, seqq. Lev. XXV, 39 seqq. Deut. XV, 12, seqq.
Ex ea lege mos idem signandi servos ad SYROS perve-
nisse, atque ad Juvenalis aetatem perdurasse, haud ob-
scuris indiciis cognoscitur. Ita enim libertus ille prio-
ris se fortunae servilis ipse coarguit, *Satira I, v. 102.*

Cur timeam, dubitemve, locum defendere, quamvis

Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestras

Arguerint, licet ipse negem.

Illud videlicet dicturus videtur: *Frustra in dissimulan-
do genere, & pristina conditione servili, labora vero,
cum aures id palam commemorent, quae perfossae mihi
sunt, dum in Syria serviebam.* Eandem notandi servos
consuetudinem inter ARABES obtinuisse, illa *Petronii
Arbitri, in Sabyrico, verba nos docent: Circumcide nos,
inquit, ut Judaei videamur, & pertunde aures, ut imi-
temur Arabes.* Nequis autem existimare possit, aures
pertusas, mundi, ornatusque, causa, ab Arabibus inge-
nuis fuisse, eodem loco statim subjicitur; *Atramento
quoque infice nos, ut servi Aethiopes videamur; nimi-
rum ut de servilibus notis sermonem esse intelligamus.*

III.

Praeter Graecorum, Romanorumque, qui in foro,
curiis, theatris, cogebant coetus, morem, IUDAEIS
percularis erat, ad urbium portas conveniendi, consuetu-
do. Ita BOAS *עלה השער וישב שם* Ad portam a-
scendit, & consedit ibi, videlicet ut causam ad Seniores
oppidi, & magistratum, deferret, *Ruth. IV, 1.* Eadem
coetus agendi ratio jam ABRAHAMI, ac IACOBI, tem-
poribus usu venerat, ut ex *Genes. XXIII, 10, 18, XXXIV,
20, seqq.* liquet. Imo vero MOSIS aevo, cum nullas

adhuc urbes *Israelitae* occupassent, לִפְנֵי אֹהֶל מוֹעֵד
 vel, אֶל מִתְּה אֹהֶל, *ad Ostium Sanctuarii*, coetus coacti,
 causae disceptatae, & iudicia habita sunt *Num. XI, 16,*
X, 13, XVI, 19. Facile autem per se quisque conjectan-
 do assequitur, ad portas urbium scamna, sellasque, di-
 spositas fuisse, in quibus *Iudices, Senatores,* ceterique
 lautioris fortunae cives, considerent, reliqua turba cir-
 cumstante. Nimirum spatiosissimas portarum areas o-
 portet fuisse, in quibus quippe *ACHABUS* rex, praesen-
 te *IOSAPHATO*, quadringentos Vates, praeter satelli-
 tes, ac ministros, comitesque ceteros, congregare, *I.*
Reg. XXII, 6, 10, & quae universum populum *Judaeum,*
 ad *DAVIDEM* convenientem, capere posset, *II. Sam.*
XIX, 8. Sed eadem quoque fori nundinarii loco erant.
 Nam, divino spiritu afflatus, *ELISÆUS*, cum vellet insi-
 gnem annonae vilitatem, *DEI* instinctu, praedicere,
 proximo die farinam, in *Samariae* porta, tam vili pre-
 tio ituram venum aiebat, ut satum similagineae siclo,
 duo sata hordeaceae siclo, comparari possent *II. Reg. VII, 1.*
 Atque ille fortassis publicus olim iudicii locus fuerit. Nec
 vero diffitendum istud videtur, in ipsis portarum con-
 tabulationibus secretiora quaedam conclavia fuisse, quo-
 se reges in primis, cum Consiliariis, aut urbium magi-
 stratus, secretioris consilii capiundi causa, conferrent.
 Tale, si quid suspicamus, עליית השער fuit, ubi *DAVID*,
 rex, belli intestini eventum expectavit, luxitque *AB-*
SOLONIS infelicem e vita migrationem, *II. Sam. XIX, 1.*
 Non ergo insulsus plane interpret *CHALDAEUS* cen-
 sendus est, quando vocabulum שער *Deut. XXV, 7, Ps.*
Ps. CXXVII, 5, Prov. XXII, 22, & alibi, בית דינא,
portam domus iudicii, RUTH. 1. 4., תרע סנהדרין, por-
tam Synedrui, interpretatur.

IV. Nihil

Nihil praeter rem affirmant, qui שמן כר i. *Sam.* ז , i. *lagenam lenticularis formae, oleo plenam*, latine reddunt. Cum enim vocabulum כר verbo פכה maxime affine sit, a quo deducta vox מפכי *Ezech. XLVII, 2*, *aquas destillantes, & guttatim proficientes*, notat, haud injuria כר ejusmodi *genus vasorum* dicemus, quod ab *ampliori alveolo in angustum os exit, & liquorem, quem continet, guttatim fere emittit*, qualis solet esse plerumque natura lagenarum. Nec injucunde igitur, nec inepte, ad *Ebraeam* vocem כר GRAECI Interpretes alluserunt, cum illam Φακός interpretarentur. Φακός enim non *lentem* modo, apud GRAECOS, sed *vasculum quoque formae lenticularis, in quo fere mortuorum cineres servabantur*, & omne σκῆυος Φακωτόν , seu *vas, in lentis modum conformatum*, significat. Hinc, שמן כר , Φακός τῆς ἑλάγῃς , *laguncula ejusmodi erat, in qua unguentum pretiosum, quo Reges ungebantur, asservabatur*. Pretiosiori enim oleo reges olim ungi solitos esse, haud obscure ex *1. Reg. I, 39, & Ps. LXXXIII, 21*, colligimus, ubi SALOMO unctus a Zadoco dicitur oleo, $\text{לִּהְנִיחַ יָדָיו מִן הַשֶּׁמֶן הַקֹּדֶשׁ}$, ex *Tabernaculo, seu Sanctuario*, petito; DAVID autem שמן כר *Oleo Sancto, vel Sanctuarii, vel, in Sanctuario asservato*. Non vero damus *Judaeis* quibusdam sciolis, oleum hoc ejus fuisse generis, quo *Sacerdotes ungi solebant*. Severissima enim DEUS lege caverat, *Exod. XXX, 31, 32, 33*, ne id, quo *Sacerdotes initiabantur, oleum cujusquam corpori affunderetur, nisi de Aaronis stirpe prognati, & ad sacerdotium inaugurandi*. Imo vero ne licebat quidem ejus simile conficere cuiquam, aut id loco sacro efferre, ut ex *1. e. & Exod. XL, 9, 12, 13, 14* inter se collatis, patet. Proinde

inde

inde illud oleum, quo reges consecrabantur, multum licet ab eo diversum, in *Tabernaculo* tamen, quod *Arcae*, divinarum custodi legum, domicilio paraverat *DAVID*, *II. Sam. VI, 17*, asservatum videtur, seu, quod ibi, solemniter, ad usus publicos conservaretur, seu, quod majestati regiae conveniens putarent, instrumenta, publicae ad imperium inaugurationis, loco sacro seposita custodire. Nimirum & alias complures res, ut *Gladius*, & *Arma*, *GOLIATHI*, memoriae perennis causa, in tabernaculo olim, tempore, asservata fuisse comperimus. Conjectent autem, quibus otii abunde est, cur *SAMUEL* uncturus *SAULEM* *I. Sam. X, 1*, & quidam *Elisae* discipulus, *IEHUM* initiaturus, *II. Reg. IX, 1, seqq.* usi sint *שמן כף* *legenula oleo plena*; idem contra *SAMUEL* *Davidi*, & *NATHAN* *Salomi*, inaugurandis, ex *שמן קרן*, *cornu, olei pleno*, oleum suffuderit? Enimvero si e cornu citius, quod infusum est, quam e laguncula effluit, cornuque frequentissime signum est ubertatis; lagena contra, quae guttatim destillat liquorem, sterilitatis, avaritiae, atque impediti successus, imago habetur, argutius differet, qui unctioe ex cornu, imperium felix, omnique successu, & rerum ubertate, affluens; unctioe autem ex laguncula lenticulari, imperium minus prosperum, variisque turbatum calamitatibus, indicari dicet, quam qui, cum *IUDAEORUM* *Doctores*, illa, regni diuturnitatem, hac, fluxum, ac per breve, imperium significari contendet, dum ne superstiosum nimis sit, ex vasorum, quae sola fortasse forma discrepabant, diversitate *μυσικώτατον* extorquere.

V.
Peracta solenniter unctioe novi reges osculo excipi solebant. Quod, cum salutationis genus esset, tum a
SA-

SAMUELE primum uncto SAULI, benevolentiae, ac reverentiae, testificandae causa, impertitum, *I. Sam. X, 1, Israelitis autem Ps. II, 12*, praeceptum, legimus, ut nimirum suam *Messiae*, coelesti regi, recens uncto, pietatem, obsequiique fidem, osculo, hoc est, religiosa veneratione, & adoratione, comprobarent. Eodem fere ritu impii simulacrorum cultores turpissime abusi, simulacra sua, cum religiose vellent colere, osculabantur. Cujus quidem rei ipse DEUS, *Optimus Maximus*, testis est, cum ad *Eliam*, divini spiritus vatem, ita fatur: *Septem hominum millia in Israelitis ego conservabo, omnia genua, quae non flexa sunt coram Baale, & omne os, וְכָל לֶשׁוֹן לֹא נִשְׁקָה לָהּ* quod eum non est osculatum. Is vero osculandi fere mos erat. Si, quod vellent osculo venerari, simulacrum propius esset, ut tangi posset, ejus vel os, vel manus, vel pedes, osculabantur flexis genibus; Sin longius remotum, suam, ipsi cultores, manum, oculis, animisque, in rem venerandam intentis, osculabantur. Idcirco IOBUS, cum omnem perigrini cultus suspitionem a se removere vult, *Cap. XXXI, 26, 27, Num*, inquit, *solem contemplatus, egregie splendentem, & lunam, clare micantem, laetatus sum apud animum clanculum, וְתִשַׁק יָדַי לְפִי*, aut osculatus sum manum meam ore meo? Homines autem, cum se salutare, invicem occurrantes, de quacunque causa, vellent, alter alterius ori, genisve, basia figebat. Potentiores tamen, principesque, viri, eo tandem insolentiae progressi sunt, ut non manus modo, sed genua etiam, fimbrias vestium, imo & pedes ipsos, basiare sibi paterentur. Quo de argumento plura ex instituto LIPSIUS *Elect. L. II, Cap. VII*, differit,

B

VI. In bel-

In bellico isto, quem *Israeli*, & SAULI, opponebant *Philistaei*, apparatu, Scriptor Sacer. *Sam. XIII, 5*, אלף רכב שלשים, *triginta millia curruum*, fuisse commemorat. Stupendus, fateor, curruum hic fuisset numerus, & cum nullo alio, sive *Codicem sacrum*, (excepto tantum *I. Chron. XIX, v. 7*. ubi *Ammonitae*, suo famtu, אלף רכב שלשים, *triginta duo millia curruum*, pro se conduxisse perhibentur) sive *Profanam* consulamus *Historiam*, componendus. Sexcentos quidem ille *Exod. XIV, 7*, PHARAONI; nongentos IABINO, *Cananaeorum* regi, *Iud. IV, 3*, mille tandem & quadringentos SALOMONI *I. Reg. X, 26*.; haec vero *Persico* cuidam *Imperatori*, contra quem ALEXANDER SEVERUS exercitum ducebat, mille & octingentos currus attribuit. Sed, quod aliquot millia, & nominatim quidem, viginti, triginta, & ita porro, curruum millia, in ullo unquam exercitu simul comparuerint, id, quidem, ut opinamur, nemo temere affirmabit. Atque hoc omnino in causa fuit, cur ex modernis *Criticis* nonnulli eo audaciae sint progressi, ut existimarent, quod scribae, vel ex oscitantia, vel etiam negligentia, in locum שלשה, *tres*, ר' שלשים, *triginta*, substituerint. At enim vero, praeterquam, quod error istiusmodi in omnia *Bibliorum MSta Exemplaria*, irreperere non potuerit, & non tantum LXX *Senes*, sed & CHALDAEUS *Paraphrastes*, autentica, κατὰ πόδα, & prout hodie num in *Scripturis* jacent, expresserint; erudite quidam coniectant, quod sub curruum nomine, in hoc nostro, & aliis isti similibus, oraculis, nonnisi milites, qui currus istos conscenderant, intelligendi sint, unusque a deo

deo

inimicos sibi DAVID esse ait, quorum tamen vicem misereri potius fas erat? Viderunt scilicet IUDAEORUM *Doctores* aliqui, Salomo IARCHIUS, IESAIAS, KIMCHIUS, LEVI, alii, lepidam fabulam suis difficultatibus laborare. Itaque aliam exorsi, *coecos* illos, ac *claudos*, duas fuisse imagines somniarunt, quarum altera coeca ISAACUM, oculis in senectute captum, altera clauda IACOBUM, altero femore claudicantem, referret. Has autem imagines, ajunt, in ore gestasse tabulas, in quibus perscriptum foedus esset, quod ABRAHAMUS cum *Abimelecho*, ejusque posteris, de noxa non inferenda, pepigerat. Hujus igitur jurisjurandi vi DAVIDEM, fabulantur, prohibitum fuisse *Sionis*, quae ad posteros ABIMELECHI pertinebat, occupatione, donec captis imaginibus, semotisque, foedus illud aboleretur. At fabulis, qui velint, delectentur. Nobis quidem ea videtur rem acu tangere interpretatio, quae DEORUM illa *simulacra*, quae in loco SIONIS edito, conspicuoque, veluti *Tutelares Deos*, ac *Palladia*, statuerant IEBUSAEI, primum quidem a DAVIDE per contemtionem *claudos*, *coecosque*, fuisse appellata, quod oculos haberent, nec tamen viderent, pedibus instructi essent, nec tamen progredi possent, quemadmodum *Pf. LXV, 15*, dicitur; arreptum autem, a *Iebusaeis*, nominis ludibrium deinceps, quod nihilominus ea suae arcis tutelam firmiter existimarant, inque DAVIDIS ignominiam, qua licebat, conversum esse. Illud videlicet est, quod ajunt IEBUSAEI: *Illi ipsi, quos tu coecos, claudosque, contemtim vocas, Dii Te muris, & arce, prohibebunt.* Firmare hanc conjecturam adprime videntur ea, quae CHALDAEUS *Paraphrastes l. c. in Autenticae Scripturae locum*

cum

cum substituit, & hujus quidem tenoris sunt : לֹא תֵעוֹל :
הֲלָכָה אֱלֹהֵי בְּאֵרֵי יוֹתָם חֲטָאִים וְחַיִּבִּים : וְאָמְרוּ
: לֹא יֵעוֹל דְּוַד הֲלָכָה : *Non intrabis huc, nisi abstu-*
leris peccatores, & culpatores, qui dicunt : NON IN-
TRABIT DAVID HUC. Quis enim, verbis his probe
secum perpensis, sponte non deprehendit, quod IEBU-
SAEI, Deorum suorum fiducia freti, DAVIDEM, cum
asseclis suis, qui *Peccatores, & Culpatores*, idola ista nun-
cupabant, in urbem intromittere noluerint. Ve-
teres enim tutelam cujusque civitatis certo alicui Deo-
rum Numini, eum in finem, assignabant, ut ab exter-
nis inprimis periculis essent immunes. Fatali interim
urbium necessitate ingruente, *Tutelares Deos* ex iis-
dem discessisse, praeter alios, VIRGILIUS docet,
quando *AENEID. Libr. II*, ita canit :

*Excessere omnes adytis, arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat - -*

Belligerantibus insuper in more positum fuisse, ut
in Urbium obsidione, *Deos* ex iisdem, per certa car-
mina elicerent, id quidem MACROBIUS *Libr. III, Cap.*
IX, Saturnal. ubi & ipsum istiusmodi evocationis car-
men recenset, diserte adstruit. Atque haec, sine du-
bio, in causa fuerunt, cur non validissimis tantum De-
os suos vinculis, gens superstitiosa, constrictos teneret,
B 3 sed

sed & istorum nomina, ne scilicet incantantium forin-
secus illecebris obnoxia paterent, silentio penitus ob-
ruerint.

VIII.

Nullum facile diem aequae festum, laetumque, sibi
Veteres, ac illum, quo, in lucem editi, vitalis aurae usum
primo percepissent, censuerunt. Itaque PHARAO et-
iam *Genes. XL, 20*, aevi sui moribus יום הולדת, *diem*
natalem, quem GRAECI *Interpretes*, ἡμέραν γενέσεως,
SYRUS, כַּדְּמִיּוּתֵי הַבַּיִת, *Diem domus*
nativitatis suae; ARABS يوم مولد, *diem regni*,
reddidit, solenni convivio duxit celebrandum. HE-
RODES etiam, praeter ceteros dies, *Natalem* delegit,
quem festive, hilariterque, consumeret *Matth. XIV, 6,*
seqq. In quo quidem *Divi MATTHAEI* ora-
culo cum SYRUS *Interpres* aequae, atque in illo,
Genes. XL, 20, γενέσια ἀγόμενον, interpretatus sit
בְּיַמֵּי הַמֶּלֶךְ הַבַּיִת, *ansam* dedit quibusdam *Criticis* sentiendi, per *domum*
nativitatis intellectam ipsum velle *illam coeli domum*,
in qua Horoscopus nativitatis Herodis notatus erat, qua,
redeunte in orbem, natalitia principis sint celebrata. So-
lent enim, quod in vulgus notum est, ASTROLOGI
astra in certa templa, seu domos, distinguere, astro-
tumque

rumque notare istum positam, qualis eo momento,
 quo quis in lucem editur, in hac, illave, coeli domo fuit.
 Vix autem, ac ne vix quidem, Tremellius caussam in-
 venerit, quamobrem SYRI vocem, א-א-ב, hic, voce
Inter, exprimere malit, licet hanc notionem, *Syrum* vo-
 cabulum, alioqui non respuat. Nec enim eadem vox,
Marc. VI, 21 ita explicari ullo modo potest, quando ei
 praefixa est litera ב vim *Praepositionis* habens. Id quod
 sane TREMELLIUS ipse perspexit facile, suoque iudicio
 comprobavit, cum verba *Syra* א-א-ב א-א-ב
 transferret; *In domo nativitatis suae*, id est, *in domo*,
ubi Herodes epulum natalitiorum suorum instruxit. Quod
 vero pace TREMELLII dictum sit, neque haec interpre-
 tatio conveniens suo loco videtur. Nam si ejus secte-
 mur mentem, insulse profecto illa *Divi MATTHAEI*,
apud Syrum, verba: *Cum esset domus nativitatis Hero-*
dis; sic transferti oportebit: *Cum esset domus, in qua cele-*
brabat epulum natalitiorum suorum Herodes. Proinde, mis-
 so SYRI qualicumque interpretamento, יהוה הולל,
diem natalem, ημεραν γενεσεως, tutissime dicemus, anni-
 versariam memoriam natalis diei denotare, quam diem
Divus MARCUS Cap. VI, 21, ημεραν ευκαιρον, hoc est,
 טוב יום, *diem bonum, auspdatum, festivum, feriatum,*
ac solemnem, nuncupat. Ita namque GLOSSARIUM:
 ευκαιριω, vaco, ευκαιριω, ηχολαζσσα, vacua. Ut adeo
 bus

ἡμέρα εὐκαίη & ejusmodi videatur designare diem, quo
 laboribus, curisque, temperatur, ut hilaritati, ac fe-
 stivitati, vacemus. ARABS Pharaonis natalem diem
 ٧-٧-٧, ٧-٧, diem regni, vocat, seu, quod ab optimati-
 bus regni, & universis civibus, in honorem regis, cele-
 bratum esse, seu, quod diem natalem imperii Pharao-
 nis, hoc est eum, quo ad imperium evectus erat PHA-
 RAO, significari existimaret. Veteres enim non nata-
 lem tantum diem solenniter observabant, sed eum pa-
 riter, in quo, ut docet HEROD. *Libr. IX, c. 109.* regali
 potestate primitus induebantur. Romane loquentes
 istum, *Imperii sui diem*, vocarunt, siquidem *Spartiano*, in
 HADRIANO, teste, hic *Natalem Imperii* instituit cele-
 brandum, quo die excessus ei TRAIANI nunciatus est.
 Utrumque succincte conjungens BALSAMON, ad Photii
Nomocan. *Νατάλια δ' εἰσι,* inquit, *τὰ τῶν βασιλέων γε-
 νέθλια, καὶ τῶν ἀνάρρησις: Natales principum sunt in du-
 plici differentia, nascendi primum dies, & deinde
 inaugurationis.*



Coll. diss. A. 134, misc. 36